

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0582

0580

0586

0576

9

XIII. Nostra militia est dignior. Quia milites sancti se-
pulchri ab omnibus, tam spiritualibus quam saecularibus,
praeferuntur.

XIV. Est etiam potentior et majoris auctoritatis ex eo,
quod confertur auctoritate sanctissimi domini Papae, et sere-
nissimi domini Imperatoris. Alii vero nonnumquam efficiuntur
milites et contra Papam, et contra Imperatorem, vel praeter
eos, et sine jussu et scitu eorum; ideo sunt nullius aucto-
ritatis.

XV. Militia nostra est nobilior et ipsa alias nobilitat,
non vero e contrario. Vidi multos, qui facti fuerunt milites
per Imperatorem, et in proeliis, et tamen militiae signa ferre
nolebant, quousque (186 A) in sancto sepulchro fuerunt
percussi in milites. Scio unum nobilem, quem Imperator per-
cussit militem in quodam proelio, et rex Ungariae in alio
bello, et rex Bohemiae in tertio, et tamen semper concessit
se pro simplici nobili, quousque quarto in dominico sepulchro
fuit factus, et tunc rediit, et insignia militaria portavit, et
hodie gloriosus miles est cum multis equitans famulis.

XVI. Militia nostra est mirabilior. Omnes enim quodam
modo mirantur sancti sepulchri militem, pro eo, quod inter
Sarracenos infideles et in dominico sepulchro accepit militiam.

XVII. Est militia magis venerabilis. Habent enim milites
sancti sepulchri locum super alios, eundo, stando, sedendo,
loquendo, manus lavando, comedendo etc.

XVIII. Militia nostra est spectabilior. Nam quando miles
sancti sepulchri loqui incipit de sua militia, de loco suae
militiae, de his, quae sibi acciderunt, omnes eum intuentur,
et aperto ore auscultant, quid dicat.

XIX. Est acceptabilior nostra militia. Nobilibus et igno-
bilibus sunt milites sancti sepulchri accepti, parum alii milites
curantur, imo potius abhorrentur, tamquam inhumani, feroce,
terribiles.

XX. Militia nostra est virilior. Parum enim est, cuneos
hostium penetrasse semel, vel hostes vidisse, sed multum est,
saepe in mortis periculis fuisse, sicut est in nostra militia.

XXI. Militia haec est strenuior, quia undique virum vir-
tuosum requirit.

0591

0571

0631

0531

0681

0481

1081

0081

Ende

Anfang

